



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1553. usque ad annum 1557

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 9011857X

§. 5. Hisce articulis per Reginam exhibitis a Senatu quædam opposita.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66565](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66565)

Sæcul. XVI. A.C. 1554 tegra permaneant, ea tamen lege, ut Sorori suæ tam in Hispania, quam in Belgio dotem juxta generis sui leges, ac consuetudinem congruam assignare teneatur.

V. Si contingat Carolum absque liberis decedere, tunc Philippi, & Mariæ filius primogenitus, vel etiam Filia natu major deficientibus masculis tam in Hispaniam, Italiam, quam in alias Provincias succedat: si tamen sit Princeps, etiam ad omnia alia Regna, & hæreditarias ditiones, quæ ad Caroli Cæsaris imperium tam in Burgundia, & Germania inferiori, quam in aliis ditionibus spectant, ad eundem jus devolvatur. Denique difertis verbis præcipiebatur, ut proles, quæ in Patris, ac Matris bona succedent, in omnibus eventibus supra memoratis integra servent jura, leges, consuetudines, & privilegia ditionum, quæ ad eas hæreditario jure transferentur, atque ejusmodi regiones, & Provincias Viris indigenis administrandas committant.

§. V.

*Hicce articulis per Reginam exhibitis
a Senatu quædam opposita.*

Hicce articuli latino, Anglico, Belgico, ac Hispano idiomate conscripti,

scripti, prout eorum quisque decer-
 nebatur, a Legatis, ac Deputatis fir-
 mabantur, eosque Regina, cui fue-
 runt exhibiti, ratos habebat: cum vero
 suo Senatui tum hanc ob rem Londini
 congregato sua venerationis, atque af-
 fectus specimina præbere gestiret, his
 articulis subscribere renuebat, nisi prius
 ab eo fuissent examinati, atque appro-
 bati. Ergo Reginae nomine a Gardi-
 nero exhibentur Senatui, omnibusque
 attente perlectis etiam cuncti Senato-
 res illis consensere, exceptis admodum
 paucis, qui circa plura capita amplio-
 rem fieri explicationem petebant, præ-
 cipue circa articulum, qui ipsam Prin-
 cipis Personam concernebat: Igitur ad
 eorum preces proponebantur ea, quæ sub-
 jungere consultum censebatur: hoc ita-
 que scripto Reginae porrecto, rursus
 Legati, ac Deputati convenere, atque
 ceteris articulis in sua firmitate reli-
 ctis, tantum sequentia esse addenda
 consensere.

I. Philippus nullum nisi natione An-
 glum, aut Reginae subditum ad suum
 famulitium admittat, pariter nec ul-
 lum exterum, a quo quædam Anglis
 molestia esset timenda, secum in An-
 gliam ducat: si vero ex Philippi comi-
 tatu quisquam ejusmodi crimen com-
 missurus suo obsequio deesset, debita
 poena plectatur.

II.

*Ullon in
 vita Caroli
 V. lib. 5.*

Sæcul. XVI.
 A. C. 1554.

Sæcul XVI. II. Idem Philippus circa leges, sta-
A.C. 1554. tuta, ac Angliæ consuetudines nihil
 immutet.

III. Reginam extra suam propriam
 ditionem secum non abducat, saltem
 nisi illa id disertis verbis petierit, imo
 nequidem ex liberis, quos ex hoc con-
 jugio suscepturus foret, ullum abs-
 que Regii Senatus cognitione, ac con-
 sensu extra Angliam educat.

IV. Si Regina prior absque hærede,
 aut posteris decedat, Princeps nullum
 sibi jus in Angliam, vel alias ditiones
 eidem obnoxias attribuere poterit, sed
 illis, quibus juxta regni leges legitime
 competit, cogatur relinquere jus, ut Re-
 ginæ conjugii suæ succedant.

V. Nullas gemmas, uniones, vel
 alia pretiosa ad præfati regni ærarium
 spectantia extra Regnum transferat,
 vel transferri curet, nec etiam bona
 ad Regis patrimonium pertinentia alie-
 net, minus vero ejusmodi res per suos
 domesticos, aut alios externos transpor-
 tari, aut distrahi permittat. Pariter
 arma, belli tormenta, navigia, belli-
 cos apparatus, aut alias quascunque
 res, vel ex armamentario maritimo,
 aut terrestri auferre poterit, nisi Se-
 natus id æquum censuerit, atque ap-
 probaverit: curam autem habeat Phi-
 lippus,

lippus, ut omnes arces, & propugnacula per ipsos Anglos valide sint munita.

Sæc. XVI.
A.C. 1554.

VI. Ob hoc Matrimonium Princeps nullo omnino modo Angliæ Regnum bello inter Cæsarem ejus Patrem, & Franciæ Regem ferventi implicare poterit, ut proin fœdus inter Anglos, & Gallos illæsum conservetur; quod vero ceteras attinet ditiones, Principi liberum erit, si Cæsari Patri suo opem ferre velit.

VII. Cum Regina Philippo Principi tanquam Neapolis Regina sit nuptura, & Cæsar sponderit, ejusque Ministri hodieum ejus nomine polliceantur, quod Cæsar hujus Regni juribus a primo hoc temporis momento cedere velit, hinc Philippus quemdam Oratorem eo decernere teneatur, qui ante perfectum hoc connubium solemniter hujus Regni possessionem illius nomine accipiat, ac non minus hujus cessionis, quam acceptæ possessionis tabulæ, ac diplomata omni fide digna Senatui exhibeantur.

Equidem Imperator juxta datam fidem Neapolis, ac Siciliæ Regnis cedebat, ac hujus cessionis tabulas Reginæ transmiserat, illorum tamen possessio non nisi ineunte Mense Novembri hujus anni fuit adita.

§. VI.